



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 96. Insidiæ in Gabrielis Bathorii viam structæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. luti publicæ propagationem omne stu-
 A. C. 1610. dium impensuros testati sunt.

§. XCVI.

*Insidiæ in Gabrielis Bathorii vitam
structæ.*

*Merc. l. c.
 Han. Hist.
 Hung. Scri-
 pta Soc.
 Germ. de
 variis reb.
 pag. 310.*

In eunte Mense Aprili nonnulli Nobiles
 in Transylvania adversus Gabrielem
 Bathorium hujus Regionis Principem
 conspirabant, tempestive autem detecto
 eorum consilio Princeps, cum ex præ-
 sentiſſimo vitæ periculo sese expediſſet,
 præcipuos seditionis Authores partim
 extremo supplicio, partim perpetuo
 exilio ac honorum proscriptione mul-
 ctabat, moxque datis ad Tursonem
 Hungariæ Palatinum literis, cum eo-
 rum quosdam in Hungariam aufſugisse
 nosset, eos comprehendi jusserat, ne
 quid exitiale ibidem etiam occulto Je-
 suitarum instinctu, & manifesto erga
 Religionem odio molirentur: Hæc per-
 scripserat Bathorius, qui certe, quod
 a Jesuitis jam Transylvania ante bien-
 nium pulsus timeret, non habebat, sed
 potius omnis in se aversionis fomitem
 propria sua crudelitate, & effræni libi-
 dine ipſus accenderat. Quam vero ob-
 caussam Societatis Patres ex Transyl-
 vania pulsi fuissent, Claudius Aquaviva
 supremus præfatæ Societatis Modera-
 tor

tor in sua ad Ferdinandum Alberum in Germania Superiori Provinciale epistola his verbis exposuit: *Objicitur etiam Transylvania, quasi nostra culpa inde ejecti sumus; de quo quidem fuit hic Romæ aliquis rumor, ut solet, nostros ideo expulsos, quia deprehensi essent, velle regnum tradere Principibus externis. Certe hæretici ipsi, cum in comitiis illis omnia contra nos inquirerent, de hoc quidem nec verbum fecerunt, sed de sola fidei causa, Et quod nimis promoveremus Pontificis auctoritatem, ad quod confirmandum protulisse ajunt orationem ab uno e nostris habitam in funere Gregorii. Quin etiam ipse Princeps Transylvaniæ in ipso nostrorum discessu honorificum iis diploma dedit, quo testimonium ferebat de eorum virtute, Et integritate, ejusque testimonii exemplum apud nos est. Hæc R. Vestræ exponere volui, ut ipsa sciret, Et ut rationem reddere posset, cum res postularet. Ceterum hæc apud se secreta servet, nisi ubi viderit opus esse; nostris enim non est, cur communicentur.*

Sæc. XVII.
A. C. 1610.

§. XCVII.

Expeditio bellica Henrici IV. Galliarum Regis in Italia Et Germania.

Interim Henricus IV. Galliarum Rex Majestatis suæ gloriam, Regnique fines latius protendendi cupiditate ac

Nicol. Rigault Suite de l'hist. de Thou l. 3. Hist. Eccles. Tom. LIV. li cen-pag. 278.